

§. 1. Watsonius utrumque affirmans [vid. pag. 420. 529.] prodit de se morbum eorum, qui usum ab abusu, superstitionem ab iis, quæ à vulgari & perfunctoria notitia rerum physicarum remotiora sunt, discernere nequeunt. Similes gallo gallinaceo Æsopico, qui unionem in fimo repertum, hoc nomine, quod ibi repertus esset, vel quod cui bono esset non intelligeret, abiecit; Virgilio certe prudentia multo inferiores, qui è sterquilinio Ennii gemmas sese colligere professus est; Multis laborare superstitiosis & vanis opinionibus Astrologiam vulgarem, vel, ut rectius dicam, Astrologos, præsertim ubi ad politica & alia contingentia deveniunt, uti vel mediocriter doctis primò ferè intuitu manifestum est; ita adeo firmiter semper sensi, ut ipse non quidem ab omnimoda talium notitia, exercitio tamen diu, etiam cum Mathematicum Professor jam essem, abhorrerem. Posteaquam verò incidi in scripta quorundam recentiorum, potissimum Keppleri, Eichstadii, &c. accedente experientia in observationibus Genethliacis & Meteorologicis cum observationibus astrorum concurrentibus, cum stimulo Magnorum virorum Watsonio dissimilium, petentium à me, ut quid naturæ consentaneum, quid contra superstitiosum, aut alias vanum videretur, eruerem, & ab invicem discernerem, aggressus sum opus, quod ipse prævidebam non modo difficile, sed etiam invidiosum. Dicturis Astrologis quidem, arietes me principiis & opinionibus dudum receptis, admovere; Philosophis verò à Mathesi abhorrentibus, qualis est Watsonius; stabilire à me opiniones, quas dudum solidè Philosophantes ut & Theologi, imò Jcti, pro absurdis agnoverint.

§. 2. Esto autem, nihil prorsus sani docere hac in parte Astrologos, vulgo ita dictos, quo jure tamen omnis doctrina de viribus corporum cœlestium à Physica exulare debet? Num quia nullas habent? Audiatur hic Watsonius seipsum & eos quos citat pag. 524. nimirum Sophronium Kozack, qui cum dixisset: *Vanum esse novas Astrorum influentias in naturæ ordinem intrudere*, addit, *æq; improbabile est: nihil operari Astra*: Quòd autem insuper addit: *cooperari saltem spiritu operativo, qui in inferioribus est tardior*, cum ipso Watsonio improbo. Et rectè ipsum puto dicere. *Apertius constare, stellas motu & lumine operari* [ita tamen ut per motum motus radiorum, seu ut loquuntur radiatio in hæc inferiora, & sub lumine intelligantur, aliæ etiam virtutes uti est in Sole calefactio, in Luna humectatio, in Saturno frigefactio, &c. vid. Phys. nostram]